

betiore sint, interdum mentis acie. Alij ex diuerso ad res gerendas acutissimi, perceptioni literarum inhabiles habentur, quos quisque vel sagaces vel cautos vel solerter dixerit, puto nec à vero nec à communi hominum sermone deuiauerit: quibus magna pars conuenit eorum, quæ Græco vocabulo Stratagema, ta appellant, vbi scilicet in Rep. pro qualitate negotij, præsentis subito capitur consiliū. Est autem cum in longinquum tempus consilij effectus extenditur, vbi locum sibi vendicat prouidentia, quæ tertia prudentiæ pars est, per quam non tam præsentia, quam ex præsentium siue præteritorum collatione, futura noscuntur: In his enim, nisi fallor omnis prudenter versatur. Has igitur partes exequar hoc ordine, ut agam primo de ingenio, cui eloquentiam adiungam, quæ est magna pars eius, vbi facetias quoque & illustres verborum iocos dictos, ex tempore in unum colligam, quod ille maximæ dulcis eloquentiæ fructus videatur auresque fatigatas mulcens, & mœstum animum exhilarans: & qui si locum & tēpus obseruauerit, conciliat audientium favorem, opinione quadam agiljs & iug